

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.



1675.

1. Alberti, Valentianus: De fortuna clarorum belli ducum,
sub finem militum plerumque adversa.
2. Alberti, Valentianus: De politico
3. Alberti, Valent: De immutabilitate reipublicae.
4. Alberti, Valent: De Frederico forti, sine admisso.
5. Boninus, Jacobus: De expectativis
6. Boninus, Jacobus: De actione in factum pro re-
linenda possessione praesentanea competente.
7. Carpzovius, Aug. Bened.: De iudicio Imperatoris
extraordinario 2 part. 1675: 1719.
8. Carpzovius, Aug. Bened.: De restitutione in integrum
minorum.
9. Carpzovius, Aug. Bened.: Analysis l. traditionis
20 l. de pactis
10. Eichen, Johannes Christianus: De emphiteutae meliorationibus
11. Engelmann, Johann Frid: De arte syllogistica



1675

12. Wmullerus, Michael: *Valetu din erimis infantile* 23. J.
13. Geislerus, Fridr.: *De legitimatione* 24. J.
- 14, ^{a, b, c} Geislerus, Fridr.: *De actione confessoria* 2. Sept. 1675 - 1745. Accensit. 24. 1745: Tritschius, Ahasverus: *De officio boni, cordati, fidelis, ac Christiani ministri* 25. J.
15. Geislerus, Fridricus: *De privilegiis viduarum* 26. J.
- 16, ^{a, b, c} Mechtus, Fridricus Tobias: *De injusto Pontis Pilati judicio* 3. Sept. 1675, 1724 - 1737. 27. J.
17. Platz, Abrah. Christoph: *De encomiis bonorum* 28. J.
18. Reckenberg, Adamus: *De reguorum conjunctione* 29. J.
19. Romanus, Paulus Franciscus: *De jure domini restricto* 30. J.
20. Romanus, Paulus Franciscus: *De salvo conductu* 31. J.
21. Schrenckdorsperius, Bartholomaeus Leonhardus: *De pri-
vilegio* 32. J.
22. Schrenckdorsperius, Barbh. Leonhardus: *De concussione*

1675

23. Schreuderdaerferus, Bartholomaeus Leonhardus: De iuramento purgatorio
24. Schreuderdaerferus, Barth. Leonhardus: De peculis
25. Schreuderdaerferus, Barth. Leonhardus: De contracta aestimatorio
26. Schreuderdaerferus, Barth. Leonhardus: De privilegiis
27. Schreuderdaerferus, Barth. Leonhardus: De retentione
28. Schreuderdaerferus, Barth. Leonhardus: De exceptione non numeratae pecuniae.
29. Schreuderdaerferus, Barth. Leonhardus: De solutione
30. Tellerus, Romanus: De fundo pluribus promisso cum explicatione l. quotiens 15 C. de rei vind.
31. Thomarius, Jacobus: De vagantibus scholasticis
32. Zabel, Enochus: De clementia, virtute imperatoris

1675, 11

12

Christo Juvante!
DISSERTATIO LOGICA
DE
ARTE SYLLO-
GISTICA,

Quam

Inclutæ Facultatis Philosophicæ consensu
IN ALMA PHILUREA

Sub PRÆSIDIO

M. JOHAN. FRID. Engelmann /
SS. Theol. Cultoris & Alum. Elect.

publicæ ventilationi submittit

CHRISTIANUS IHLIUS, Elstertreb.
Misen, Philos. Studiosus,

prid. non. Dec. A. M. DC. LXXV.

H. L. Q. C.


Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.

1675

M. J. Ihlus



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



effi

fed

&

per

ris

fin

me

ne

fed

am

tio

ele

Ex

fir


&

ma

v.g

vit





I. N. J.

§. 1.

Spectabitur à nobis Syllogismus *formaliter*, prout in quacunqve materia fabricari potest, haut attendentibus an necessaria, an probabilis, an alio modo affecta; interim tamen non *abstractivè* quoad solam formam, sed *concretivè*, quando cum materiâ quadam concrevit.

§. 2. *Ars autem Syllogistica* in duobus potissimum consistit, in efficiendo Syllogismo bono & refutando malo.

§. 3. Effecturus bonum sciat (1.) Syllogismum alium esse *perfectum*, alium *imperfectum*, utrumqve habendum *pro argumentatione & unius ex altero collectione*; Sed differentiam consistere in eo, quòd in perfecto tres sibi locum vendicent propositiones mediantibus figuris & regulis, vel solis regulis dispositæ; in imperfecto duæ tantum sint propositiones, ex quarum priori conclusio colligitur, ut *Enthymema, Inductio, Exemplum*.

§. 4. Hinc sollicitus esse debet, ut *perfectum adducat*, quia in hoc necessitas consequentiæ maximè evidens. Licet tamen ipsi *imperfecto uti*. *Enthymema* enim in rebus notis atqve manifestis devitat ambages. *Inductio* etiam magnæ efficaciz est, ut per eam propositiones majores non incommodè probemus. *Exemplum* quoque eleganter simile comprobatur.

§. 5. (2.) Perfectum dici vel *absolutum*, vel *determinatum*. Vid. *Excell. Thomas. in Erötem. Logic.*; alia ratione vel *simplicem* vel *compositum*. Ratiocinaturus ergò *absolutum* præferat *determinato*, quia ille & facilius & magis perspicuus, quàm hic. Nonnunquam tamen materia ita se habet, ut eleganter possit *determinatum* formare, v.g. si contra Pontificios instituat: *Quicumq; solus iram Dei portavit, ille solus noster Redemptor, atqvi Christus solus &c. E.* Deindè *simplicem*

*em composito, cum omne simplicius perfectius composito. Ita tamen
equiviritur, ut certo in casu compositum adhibere fas sit.*

§. 6. De conditionali tria genera notatu non indigna addu-
cuntur. (1.) est, *cum Subjectum antecedentis & consequentis est unum,
idemq;* ut si Homo est animal, sequitur quod Homo sensitivus &c. (2.)
cum predicatum antecedentis & consequentis unum, idemq; : Si Abraham
iustificatus per fidem & ego justificabor per fidem &c. (3.) *cum nec
subjectum anteced. & cons. nec predicatum utriusq; unum idemq;*, ut si ex
lege est iustitia Christus est frustra mortuus.

§. 7. Hic cum *Excell. Albert. in disc. Logic.* diversimodè sentien-
dum. Nam qui ad primum possunt referri, nullius sunt momenti,
quia facillimè simplices esse possunt, indeq; ab his sedulò abstinend-
um. Secundi generis sunt tolerabiles, quia in categoricis major
deberet esse comparativa. Tertii autem sunt optimi & elegantis-
sini, quia vel planè non, vel non commodè categoricè efferuntur.

§. 8. Syllogismus etiam *disjunctivus* satis elegans, quia non mo-
dò thesin ponit, sed & antithesin removet. Huc refertur *Dilemma*,
quod argumentandi genus maximè validum, ut ex appellationibus
ejus patet, dum vocatur Syllogismus *cornutus*, item *Crocodilinus*.

§. 9. (3.) *Materiam*. Hic non sermo est de materiâ apodicticâ
aut probabili, sed de quacunq; sive realis, sive verbalis sit, quatenus
per tres terminos & tot propositiones exprimitur. Termini sunt *mi-
nor*, quia est minus logicè, *major*, quia est majus logicè & *Medius*, quia
se habet ut mediator. Uti enim mediator partes aut conjungit aut
debite modo separat; ita medius terminus facit cum subjecto &
prædicato.

§. 10. (4.) *Necessitatem Consequentie*. Hæc est habitudo medi-
termini ad veritatem conclusionis, ita, ut si medius ille cum prædi-
cato & subjecto rectè sit dispositus, conclusio sit verissima.

§. 11. Ad hanc conducunt *Primò tres figure*. Dico tres &c.
quia secunda & tertia figura non rejicienda. Quamquam enim in pri-
ma omnes conclusiones possint inferri; tamen & reliquæ sunt neces-
sariæ. *Necessitas* enim est vel *Essentie*, vel *Expedientie*. Illa est, cum
aliquo absente res planè non potest existere, uti intellectus necessa-
rius ad intellectionem. Hæc verò, cum aliquo absente res non adeò
benè potest existere, uti equus vel rheda ad iter requiritur. Posterio-
res

res figuræ non sunt necessariae necessitate essentiæ, sed expediendiæ, quia absentibus iis non æquè possumus benè argumentari.

§. 12. *Cum enim Conclusio negativa probanda medio negativo, rotundissime concludo in secunda figura, quia in prima figura in hoc casu faciendæ propositiones infinitæ. Cum verò particularis probanda per exemplum & medium singulare, rotundissime concludo in tertia, quia in prima figura sunt faciendæ propositiones inordinatæ.*

§. 13. Hinc etiam est, quod Eruditi ut plurimum in primâ figurâ argumententur; positis tamen his duabus circumstantiis secundam & tertiam præferant primæ.

§. 14. Dum nominatæ tres figuræ, innuitur, *quartam figuram*, cujus inventio Galeno tribuitur & propterea Galenica dicitur, esse rejiciendam, in quâ medius terminus in majori prædicatum & in minori Subjectum v. g. O. Homo est animal O. animal est substantia E. Q. substantia est homo. Hæc enim est supervacanea & inutilis. Deinde non est nova, sed tortuosa variatio primæ, in quâ præmissæ trans ponuntur. Accedit conclusionem non habere consequentiam, quia non sequitur: Q. Substantia & Homo, quia est animal; potest quippe brutum esse.

§. 15. Quod attinet modos, illi ab omnibus hætenus requisiti, eorumque numerati *quatuordecim*; Sed communiter, quia nonnulli plures excogitarunt, uti constat alium §. 12. alium §. 10. modos adduxisse. Verùm hi ipsi peccant tum in Deum, tum in proximum; in Deum, dum dona concessa tam malè impendunt; in proximum, dum ingenia discipulorum magis onerant, quàm juvant. Nosse deberent, Syllogismum esse Instrumentum in facultatibus adhibendum, jam Instrumenti naturam esse, ut possit in praxi adhiberi; vice versâ Instrumentum esse nullius momenti, si ejus usus deficiat, quod sanè de illis modis dicendum. Uti igitur ille artifex esset stultus, qui non modò sibi compararet malleos ferreos: sed etiam ligneos, chartaceos, ceraceos &c. quia solus ferreus est utilis & sufficiens; ita quoque meritò illi Logici stultitiæ accusantur, qui tam plurimos inutiles constituunt modos.

§. 16. Imò si rem accuratius consideremus, tantum abest, ut hic numerus modorum sit augendus, ut potius consueti etiam modi missi faciendi. Nam (1.) constat hos modos omnium maximè esse excogitados propter Reductionem Syllogismorum, quam hæte-



aus plurimi logici beneficio literarum tum initialium, tum media-
rum, tum vocalium, tum consonantium instituendam docuerunt;
verum cum hæc doctrina sit rejicienda & compendiosiori ratione
monstranda; merito & illud, quod propter eam excogitatum,
rejicitur.

§. 17. (2.) Probatur, quia Eruditi vel centum Syllogismos
efficiunt, ubi ne semel cogitant de modo, in quoniam fuerint argu-
mentati, quod vel ex eo patet, dum in Syllogismis non semper adhi-
bent propositiones universales & particulares formaliter; sed inde-
finitas, quod tamen non deberet fieri, si semper ad modos respi-
cerent.

§. 18. (3.) Quia dantur multi Syllogismi legitimi in tertiâ figu-
râ, qui tamen ad nullum consuetum modum possunt referri, quales
sunt illi, qui habent medium terminum particularem & singularem:
ut David peccat, David est sanctus E. Abraham justificatus est per
fidem, Abraham fuit unus ex patribus. E.

§. 19. (4.) Quia ad firmam Consequentiam sufficit, si cogni-
tas habeam figuras, fundamenta, regulas tum generales tum specia-
les & respiciam habitudinem medi termini ad conclusionem.

§. 20. Hinc *Secundo* ad firmam consequentiam faciunt *funda-
menta*. Vulgo hoc loco multa dicuntur de *dicto de omni & nullo*,
quæ duo dicta tantæstimant, ut habeant pro fundamentis omnium
Syllogismorum, quod ut defendant, distinguunt *inter esse actu & po-
testate in secundâ & tertiâ figura*, & dicunt: Dicta hæc in posteriori-
bus figuris esse potestate.

§. 21. Sed aliter est sentiendum. Nam *duo hæc dicta non constitu-
unt fundamentum adequatum & primum*. Non adequatum, quia
tantum valent in Syllogismis subsumptivis primæ figuræ. Neque
primum, quia datur prius, cui etiam hæc dicta innituntur.

§. 22. Nec valet distinctio antea adducta; negamus quippe
quod hæc dicta in reliquis figuris sint potestate. Nam in æternum
propter dispositionem terminorum non possunt inesse. Excipis om-
ninò quia illi Syllogismi possunt reduci ad primam, Resp. tunc
non sunt Syllogismi secundæ aut tertiæ figuræ, sed primæ.

§. 23. Quærendum igitur fundamentum adequatum & pri-
mum. Ubi notandum Syllogismos esse vel *affirmativos* habentes
conclusionem affirmativam; vel *negativos* habentes conclusionem
nega-

negativam. Syllogismi affirmativi pro fundamento habent hunc canonem: *Quaecunq; sunt eadem quoad eundem medium terminum in præmissis, illa sunt eadem in conclusione.* Per illa quæcunq; intelligitur major & minor terminus; cum ergò major & minor habent identitatem cum eodem termino medio; idem major & minor in conclusione etiam habent identitatem & propterea de se invicem affirmantur.

§. 24. Syllogismi autem negativi agnoscunt hanc regulam: *Quæcunq; non sunt eadem quoad eundem medium terminum in præmissis, illa etiam non sunt eadem in conclusione.* Per illa quæcunq; iterum indicatur major & minor; quando hi termini in præmissis cum medio termino non habent identitatem, quod fit, si cum alterutro sit idem; ab altero autem diversus; etiam in conclusione non habent identitatem & propterea de se invicem negantur.

§. 25. Quod autem huic identitati & diversitati omnis ratio argumentandi innitatur, patet, quia essentia propositionis affirmativæ consistit in identitate subjecti & prædicati, quam copula significat & negativæ in diversitate subjecti & prædicati, quam particula non anteposita copulæ manifestat.

§. 26. Est autem *identitas terminorum duplex, realis & rationis.* Illa, uti *Magnific. Dn. Scherzer. in Aurifodin. distinct. aurea* explicat, est, quæ intercedit eos terminos, quorum significata à parte rei sunt eadem, ut inter definitum & definitionis genus, inter definitum & differentiam specificam &c. *Hæc iterum vocatur vel suppositi, vel formarum;* illa inter eos datur terminos, quorum significata in eodem subjecto conveniunt, ut inter album & dulce in lacte, saccharo. Hæc inter eos, quorum formalia significata à parte rei sunt eadem, ut inter *Hominem & animal;* unde dico: *Homo est animal,* & assero non modo humanitatem & animalitatem convenire in eodem subjecto, sed etiam ipsas formalitates habere convenientiam, ita ut dicere possim, *humanitas est animalitas.* Hoc tamen optimè notandum, uti in metaphysicis idem est varium, ita & identitas inter terminos pro ratione exemplorum diversimodè est exponenda.

§. 27. *Rationis* vocatur, quæ inter eos invenitur terminos, quorum significata non modò à parte rei eadem, sed etiam nostro concipiendi modo. Uti sic definitum & definitio, *Homo & animal rationale* sunt idem, quæ omnia cum veritate consentiunt, modò intelligas distinctionem rationis ratiocinatæ.

§. 28.

§. 28. Hæc de identitate dicta mutatis mutandis valent quoque de diversitate. Hæc etiam est vel realis, sc. eorum, quæ citra operationem mentis differunt, quæ si accuratè consideretur semper est formarum, ita tamen ut diversitatem suppositi aliquando admittat. Sic inter lapidem & asinum, Hominem & brutum, albedinem & nigredinem est diversitas formarum & suppositi; Inter albedinem autem & dulcedinem in saccharo est tantùm diversitas formarum; vel rationis, sc. illorum, quæ tantùm per operationem mentis distinguuntur.

§. 29. Tertio ad firmam Consequentiam requiruntur Regule, quæ vel generales in omnibus figuris observandæ, vel Speciales, in hæc vel illâ figurâ notandæ, inter generales (1.) *In Syllogismo non sint plures termini, quàm tres.* Prob. quia de uno subjecto tanquam minori termino vel affirmatur, vel negatur unum prædicatum, tanquam major per medium terminum.

§. 30. (2.) *Ex puris particularibus nihil sequitur.* Nam in ejusmodi propositione prædicatum affirmatur, vel negatur tantùm de parte subjecti; ita ut sub eo aliquid contineatur, cui prædicatum non competit, ut: Q. Homo est doctus. Quando igitur ejusmodi plures propositiones conjunguntur, nulla est consequentia, sed potius contra priorem regulam peccatur. V. gr. Q. Homo est doctus. Q. rudis est Homo E. sanè hic occultè latent quatuor termini, quia in majori sermo est vel de Socrate, in minori autem supponitur essentia hominis ut sic, prout est animal rationale.

§. 31. (3.) *Ex puris negativis nihil sequitur.* Prob. ex utroque fundamento Syllogismorum. Si enim conclusio est affirmativa; ambæ præmissæ debent esse affirmativæ; Si autem negativa, medius terminus cum uno habuit identitatem, cum altero diversitatem atque sic ad minimum una præmissarum affirmativa.

§. 32. (4.) *Conclusio debet imitari partem debiliorem.* Hæc exponenda est de quantitate & qualitate, adeoque sensus hic: *Si una præmissarum fuerit negativa, etiam conclusio sit negativa; Si una præmissarum fuerit particularis, etiam conclusio sit talis.* Prius prob. Posita enim præmissâ negativâ, sequitur, medium terminum cum alterutro termino conclusionis non habere convenientiam, undè colligo etiam conclusionem debere esse negativam. Posterius etiam constat de singulis figuris. Nam in primâ & secundâ figurâ tantùm minor potest esse particularis; Quando autè hoc fit, medius terminus |particulari-

culariter cum eo conjungitur & propterea etiam in conclusione major de minori particulariter aut affirmandus, aut negandus. In tertiâ autem minor nunquam distribuitur; quare nec in conclusione potest distribui.

§. 33. *Specialium (1.) In primâ & secundâ figurâ major sit universalis.* Quoad primam patet, quia in minori propositione semper subsumitur; jam autem, ubi subsumptio potest institui, ibi prærequiritur propositio universalis. Quoad secundam, quia prædicatum repugnans aut universaliter affirmandum aut negandum in majori.

§. 34. (2.) *In primâ & tertiâ figurâ minor debet esse affirmativa.* Quoad primam probatur, quia in minori semper subsumo sub majoris propositionis Subjecto, subsumptio autem non potest esse absque affirmatione. Quoad tertiam verò, quia in eâ minor & medius terminus semper habent convenientiam.

§. 35. (3.) *In tertiâ figurâ conclusio semper debet esse particularis.* Probatur quia minor terminus nunquam sumitur universaliter aut distributive in minori; unde non distributus in præmissis nec potest distribui in conclusione.

§. 36. Hæc qui bene callet, non opus habet, ut de modis cogitet. Accedit respectus medii termini ad conclusionem, qui indicat, in qua figura & quomodo etiam sit argumentandum, quod facile etiam posset declarari, si per angustiam pagellarum liceret.

§. 37. Quomodo autem medii termini inveniendi, ardua est res. Aristoteles in libro prim. prior. *Analytic.* varia habet præcepta de inventionem hac & docet terminos medios esse delumendos vel ex antecedentibus vel ex consequentibus, vel repugnantibus; quia verò in praxi sunt difficillima, merito aliis relinquimus.

§. 38. Scholastici eadem facilioris intelligentiæ causa hæc præcepta per terminos technicos expresserunt & versiculis incluserunt.

*Fecana, cageti, dafenes, Hebare, Gedaco,
Gebali stant, Sed non stant febas, hedas & hecas.*

Sed ignoscant mihi, si dicam, eos hanc doctrinam adhuc obscuriorem fecisse, siquidem rem in se difficilem horrifonis & difficilibus exprimunt terminis, ita ut intellectus debeat respicere tum ad res, tum ad præcepta, tum quoque ad terminos technicos, antequam possit intelligere.

B

§. 39. Alii

§. 39. Alii declararunt per combinationem ab uno latere ad alterum protensam similitudinem pontis referentem. Sed meritò iudicat B. Kromayer. in *Polymath. Part. II.* eos discentem magis confudisse, quàm iuvasse. Equidem inventio medii rectè explicata iudicante eodem Kromayero, tam facilis est, ut omnibus medii termini sedem in qualibet figura, nec non figurarum modos tenentibus non possit non esse aper-tissima. Interim disputantem in ipso fervore ad omnia hæc posse respicere, quivis ingenuè difficillimum esse fatebitur. Concedamus eandem methodum suum usum habere, cum disputaturo temporis spatium relictum, idemque tali ingenio præditus, ut absque illius tortura ita possit progredi. Verùm in illo casu nihil fermè omnia hæc iuvabunt. Potius illa ἀγχινοια, sagacitas atque solertia requiritur, quam citatus B. Vir ex Aristotele *facilem inventionem medii termini nuncupat etiam in tempore non præviso.*

§. 40. Hinc etiam est, quod tale iudicium ferat. Roderic. d. *Arriag.* *Se nullum aptius medium ad inveniendum medium terminum scire quam 1. felix ingenium. 2. Studium continuum, 3. creberrimum usum disputandi & 4. bonam memoriam.* Uti autem in omnibus rebus intellectus potest juvari; ita & hic; quare præsuppositis jam dictis aliquam adhuc methodum proponemus aliquibus exemplis declarandam. Fatemur verò eandem nos debere *Acutissimo Dn. Scherzero*, siquidem eam ex Scriptis ipsius Philosophicis quoad fundamentum & occasionem contentam eruimus. Pace igitur huius viri, prout penetrare potuimus, hic exhibebimus.

§. 41. Statim autem occurrunt prænotanda. (1.) *Syllogismum posse effici vel ad probandam meam sententiam, vel impugnandam aliam (2.) conclusionem esse vel affirmativam, vel negativam. (3.) medium terminum esse omne predicatum ostendens, cur predicatum insit, vel non insit subjecto.*

§. 42. Jam considerabimus Syllogismum ad probandam meam sententiam, ubi occurrunt hæc regulæ. I. *In omni propositione affirmativâ verâ predicatum est idem cum subjecto.* II. *Si hanc propositionem vis probare, sume aliquid ex predicato, v. gr. ejus definitionem, differentiam, proprium, affectionem, repugnans &c. & habebis medium terminum, vel etiam proba totam propositionem exemplo.* III. *In omni propositione negativâ verâ predicatum non est idem cum subjecto.* IV. *Si hanc propositionem vis probare, sume aliquid vel ex subjecto, v. gr. definitionem, differentiam, proprium, affectionem aut aliud peculiare attribui-*

attributum, vel ex prædicato, v. gr. definitionem &c. ut antea & sic habe-
bis medium terminum, vel totam propositionem prob. exemplo.

§. 43. Quoad primam regulam notetur, essentiam propositionis affirmativæ veræ consistere in identitate subjecti & prædicati quam copula significat. Unde accuratissimè loquitur cit. Schertzerus in Brev. Eustach. particula est dicitur copula non effective, sed significative. Non enim copula facit, ut prædicatum insit subjecto (id enim rerum natura facit:) sed significat tantum inesse. Illa autem identitas ita est comparata, ut prædicatum ad subjectum & hoc ad illud accuratam involvat habitudinem; talia quippe sunt prædicata, qualia præmittuntur esse à suis Subjectis; & talia sunt subjecta vice versâ. v. g. cum dico Homo est animal, animal est Genus.

§. 44. Quoad secundam regulam notandum, medium terminum esse desumendum ex prædicato & ex illis, quæ in prædicato continentur, ita quidem ut & habudo sit eadem, quæ est in propositione. Jam verò in prædicato invenio varia, definitionem &c. quæ omnia sunt medii termini, quia sunt rationes, cur prædicatum insit subjecto. Sic si hanc propositionem, Homo est animal, velim probare, assumo aliquid ex prædicato ejusdem habitudinis, ut definitionem, differentiam, proprium &c. Similiter si hanc: animal est genus, velim probare, sumo aliquid ex prædicato, nempe definitionem generis, differentiam proprium, repugnans, & hoc modo firmiter concludo.

§. 45. Sit probanda hæc conclusio: *Logica est ars*. Hic juxta primam regulam observo prædicatum cum omnibus contentis esse idem cum subjecto; juxta alteram assumo aliquid ex prædicato, *definitionem*, esse habitum cum rectâ ratione effectivum, *differentiam*, efficere aliquid, *propria*, operari in materiam, habere Instrumenta, *introducere* in materiam aliquam formam, *versari* circa contingentia, *repugnans*, ut sapientia, intelligentia, Scientia & Prudentia sunt. Sic erunt in promptu medii termini illam conclusionem probantes.

§. 46. Quoad tertiam regulam notandum essentiam propositionis negativæ veræ consistere in diversitate prædicati & subjecti, quam diversitatem particula non anteposita copulæ denotat, ex quo concludendum est prædicatum cum omnibus in se contentis removeri de subjecto. Quoad alteram verò, rectè dici medium terminum posse desumi tum ex subjecto, tum prædicato, quia hæc duo

de se invicem removentur. Illa autem, quæ exinde possunt desumi, sunt definitio, differentia &c. ut supra, quæ si ex subjecto sumantur erunt termini mediæ affirmativi; si ex prædicato, negativi,

§. 47. Sit hæc conclusio probanda: *Metalla non sunt Elementa.* Hic juxta tertiam regulam observo prædicatum removeri de subjecto; juxta postremam verò sumo aliquid vel ex subjecto, ut *definitione*, quod sint corpora mixta &c. *differentiam* &c. vel ex prædicato, ut *definitionem*; esse corpora simplicia &c. *differentiam, proprium*, quod ex iis omnia corpora constant &c. quæ omnia repugnant subjecto, adeoque conclusionem firmiter probant.

§. 48. Quando autem Opponentis munere volo fungi, tunc ita debeo informari, ut in omni casu id facillè possim facere. Hinc regula generalis sit: *Omni propositio impugnetur vel quoad formam, vel materiam vel utrumq.* In forma perpendat, num sit perfecta propositio, num simplex aut composita, num absoluta aut modalis, si videt aliquid deesse, statim opponat; cum hac tamen cautelâ, ne prolixitati studeat. Quoad materiam theses accuratè discernendæ; aliæ enim sunt manifestæ, aliæ ambiguae, aliæ denique falsæ; si sunt manifestæ, oppositiones non erunt firmæ; interim tamen ex principio generali potest concludi: Quæcunque thesis est apertè vera, illa non est ad disputandum proponenda, si ambiguae, oppositiones erunt fortiores, si falsæ, fortissimæ.

§. 49. Ut autem contra quamcunque thesin etiam quoad materiam aliquid possit objici, præsupponendum ut supra conclusionem esse vel affirmativam, vel negativam, pro utrâque probandâ regulas subjiciemus speciales. I. *In omni propositione affirmativa præsupponitur prædicatum & subjectum esse idem.* II. *Ad probandam ejusmodi conclusionem sume aliquid ex prædicato aut exemplum & sic habebis medium terminum.* III. *In omni propositione negativâ præsupponitur prædicatum & subjectum non esse idem.* IV. *Ad probandam ejusmodi conclusionem sume aliquid vel ex subjecto, vel prædicato aut exemplum & sic habebis medium terminum.*

§. 50. Notanter dico in primâ Regulâ, *præsupponitur* &c. quia respicio ad quamcunque thesin. Uti autem supra thesis affirmativa vera erat probanda; ita & hic omnis propositio affirmativa. Eodem modo in probandâ thesi negativa loquimur.

§. 51. Sit thesis hæc ab opponente probanda: *Canis est animal ratio-*

rationale. Hic juxta primam regulam præsupponitur prædicatum & subjectum esse idem, quamvis sit falsissimum; juxta alteram sumo aliquid ex prædicato, ut *definitionem*, esse animal ratione præditum, *differentiam*, uti ratione, *proprium*, cognoscere alterum, observare præterita, habere virtutes, addiscere artes &c. *affectionem*, habere libertatem tum contrarietatis, tum contradictionis, ex quibus omnibus illam conclusionem possum probare.

§. 52. Sit thesis ambigua ab opponente probanda: *Deus est in prædicamento substantiæ.* Hic juxta primam regulam præsupponendum prædicatum cum subjecto habere identitatem; juxta alteram sumo aliquid ex prædicato, ut ejus *definitionem*, habere locum in prædicamento substantiæ, *proprium*, habere supra se Genus & Speciem; esse Substantiam singularem, accipere posse definitionem substantiæ, esse propter faciliorem cognitionem substantiarum &c.

§. 53. Quomodo autem cum thesi affirmativâ verâ sit procedendum, illud supra pluribus ostendimus. Idcirco assumemus propositiones negativas & quidem falsam. *Nix non est alba.* Hic juxta tertiam regulam præsupponitur subjectum & prædicatum non esse idem; juxta postremam verò sumendum est aliquid vel ex subjecto, v. gr. definitio, siquidem aliis vocatur nubes, aliis affectio aquæ, affectio, quia est rubra &c. vel ex prædicato, ut definitio, esse qualitatem corporis mixti ortam ex sulphure, proprium, alias res albo colore tingere; ex quibus omnibus aliquo modo hæc conclusio potest probari.

§. 54. Sit thesis ambigua, *Logica non est ars.* Hic juxta Regulam tertiam præsupponitur inter Logicam & artem esse diversitatem; cum igitur eam volo probare juxta subsequenter assumo aliquid ex subjecto vel prædicato; ex subjecto sumo definitionem, dum definitur per scientiam. Habitum mentis Instrumentalem; ex prædicato similiter definitionem, esse habitum cum rectâ ratione effectivum, differentiam, efficere aliquid; proprium, operari in materiam aliquam, habere instrumenta, versari circa contingentia &c. quæ omnia in probatione conclusionis sunt neganda de subjecto.

§. 55. Quomodo denique Thesis negativa verâ adversus alterum possit propugnari, illud ex suprâ dictis potest cognosci, cum ostensum est, quâ ratione vera sententia possit probari. Hoc saltem adjiciendum, quod præcepta tradita concernant Syllogismos oppo-



fitos directos & ostensivos. Nam quod Syllogismos indirectos & ducentes ad absurdum attinet, ii formantur ex ipsâ respondentis thesi falsâ cum propositionem falsam loco majoris assumo, postea in minori aliquid subsumo, quod sub subjecto majoris continetur, ne tamen habet ejus prædicatum & sic infero conclusionem absurdam.

§. 56. V. *Consultum est opponenti, ut inquireat in mentem adversarii.* Hoc faciendo nonnunquam ex propriis hypothesebus possumus argumentari, indeque quæstiones possunt præmitti, ad quas respondendum vel affirmativè vel negativè. Sit thesis: Deus non est in prædicamento, præsuppositis jam dictis inquirere possum in mentem adversarii & quærere: an notiones secundæ augeant vel imminuant rei dignitatem? an peccent Grammatici, cum dicunt, Deus est generis masculini? Hic opus habebit utrumque negare & mihi aniam dare fortiorem oppositionem afferendi.

§. 57. VI. *Si Respondens aliquid respondeat, urgeat opponens, ut applicetur ad argumentum.* Sæpissimè enim responsiones ita comparatæ, ut neque ad majorem, neque minorem, sed ad conclusionem non sine solæcismo logico dentur. Ut plurimum etiam responsio à posteriori datur, quæ alicubi lecta aut audita, ita tamen ut argumento applicari haut possit.

§. 58. VII. *Prolata distinctione videat an illius fundamentum in argumento.* Omnis enim distinctio bona in argumento debet habere fundamentum, si id non adsit, argumentetur; Quæcunque distinctio est tantum materialis, illa non solvit argumentum.

§. 59. VIII. *Allatâ distinctione & probatâ urgeat, ut applicetur ad argumentum.* Hinc si respondens non facit, statim concludat; Quæcunque distinctio non potest applicari ad argumentum, ita non solvit argumentum, atqui hæc distinctio &c.

§. 59. IX. *Ita se gerat opponens, ut non modò res, sed & verba respiciat, an respondens in statu controversie permaneat, nec ne; uno verbo, juxta respondentis actiones omnes suas exceptiones moderetur.*

§. 60. Satis de effectione Syllogismi boni, nunc sequitur refutatio mali. Malitia autem ea consistit vel in formâ, si peccet contra aliquam regulam, aut aliud requisitum; vel in materiâ, si ipsa materia ambigua aut planè falsa; indeque tum ad formam, tum materiam respiciendum.

§. 61. Equi-

§. 61. Equidem ex officio debito opponens afferre debet syllogismum formaliter bonum, neque ejusmodi nugis & futilibus rebus studere; interim tamen ex ignorantia vel etiam ex libidine alterum tentandi huic suo officio saepe non satis facit, indeque omnino ad formam respiciendum.

§. 62. Modus respondendi est vel *indirectus*, si simile argumentum per retorsionem efficacatur. vel *directus*, si fucus ostendatur. Sic si objiciat quis: aut disputas, aut non disputas, atqui disputas E. non disputas, possum respondere vel indirectè: aut opponis, aut non opponis, atqui opponis E. non opponis, & quia non opponis, non teneor respondere; vel directè inconclusionem nullam esse remotiorem, debere duplex non poni. Idem fit in aliis exemplis.

§. 63. Ad materiam respondetur iterum vel *indirectè per instantiam*, vel *directè*. Instantia est ille modus respondendi, cum sub propositione majore falsa subsumitur aliquid in minori, quod in subiecto majoris continetur, nec tamen habet prædicatum & sic infertur conclusio absurda. Indeque fundamentum instantiæ est exemplum habens similitudinem cum subiecto majoris & diversitatem cum prædicato, ubi sufficit, si in tertio similitudinis illius conveniat. V. gr. Quicquid diabolus profert, illud est falsum, atqui hoc vel illud protulit E. Respondeo per instantiam; Subsumendo sub majori aliquid, quod diabolus protulit, nec fuit falsum; atqui diabolus protulit Christum esse Messiam, se esse legionem &c. E. fuit falsum. Sic omnis Instantia est informata, quæcunque demum sit. Unde & ab Aristotele definitur *περί τινος περὶ τινος ἐναντία* II. Prior XXVI. Usus Instantiarum est maximus, siquidem (1.) opponens respondere necesse habet ad proprium argumentum, nec stante ipsius majore instantiam potest rejicere. (2.) respondens nihil magis debet addere; siquidem respondendum prius ad instantiam, antequam directè respondeatur. Ubi tamen discrimen notandum inter disputationes cum adversariis rigidis & discipulis atque auditoribus; in priori casu valent dicta; verum in posteriori casu addenda responsio directa, utpote instantia non solvit nodum, sed potius auditori in intellectu magis scrupulos excitat. Ex quibus & hoc potest colligi fabricatores earum debere omnium rerum cognitione esse informatos, uti sic noster *Scherzerus Danhauserum* summum Instantiarum artificem prædicat in *Manual. Philos. Part. Sept. recent. Edit.* nec immerito

ritò nos hoc idem de citato *Scherzero* affirmamus, nec dissentiet quisquam, qui Ipsum vel disputantem audivit, vel ipsius scripta perlegit.

§. 64. Quoad directam responsionem observandum materiam esse vel falsam, vel ambiguam; illo modo respondeo simpliciter negando, hoc distinguendo, quod ipsum ut plurimum contingit. Est autem distinctio ille modus respondendi, cum argumentum ex parte verum & ex parte falsum distinctione vel verum vel falsum efficitur. Circa quem artificium eruendi eam ex argumento maximè notandum. Omnis enim distinctio, quã volo respondere, sumenda est ex ipso argumento, quod ut clarum fiat prænotandum, membra ejus debere esse opposita vel contradictorie, sive vulgariter, ut inter vivum & non vivum; vel relative & technicè, ut inter vivum & pictum, actum signatum & exercitum &c. Jam ipsum artificium instituendū beneficio duarum regularum juxta manuductionē *Magnif. Scherzer. in Aurifodin. distinct. c. 3.* Prima sit: *Sume præmissam tibi notiorē, ejus sensum ex habitudine subjecti & prædicati indaga & sic habebis membrum primum.* Secunda verò: *Si alterum membrum vis adjicere, dividendo majore & minore termino sume sensum oppositum aliunde, dividendo autem medio, sume alteram præmissam & ejus sensum indaga & sic habebis alterum membrum.*

§. 65. Quoad primam Regulam notandum unam præmissam alterã esse clariorem & notiorē; quæ in eruendã distinctione est assumenda; hæc ut plurimum est minor, siquidem major propter universalitatem magis obscura; præsentē eã examino ejus sensum ex habitudine &c. Est autem habitudo subjecti & prædicati mutuus respectus subjecti & prædicati, ita ut in quo sensu stet prædicatum, in eo etiam subjectum & vice versã; Hinc notus canon: *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis & vice versã: talia sunt subjecta &c.* quæ ulterius pro fundamento agnoscunt identitatem terminorum, in qua consistit essentia propositionis affirmativæ veræ & diversitatem eorum, in quã consistit essentia propositionis negativæ falsæ. V. gr. cum dico: *effigies Petri est Homo*, facillè ex habitudine subjecti & prædicati colligo in quo sensu ponatur *Homo*; item cum dico: *Homo est dissyllabum.*

§. 66. Quoad alteram regulam notandum, in omni distinctione dividi aut majorem aut minorem, aut medium terminum, sive fiat ex parte, sive ex toto, sive immediate, sive mediatè. Cum igitur alterum
rum

rum membrum volo adjicere; hoc debeo attendere. Nam quando major & minor terminus dividitur, alterum membrum debet aliunde sumi, quod non est difficile. Si quidem cognito uno oppositorum facile potest cognosci & alterum. Quando autem medius dividitur, sumenda est altera præmissa & juxta habitudinem consideranda & in promptu erit alterum membrum.

§. 67. Sint exempla levia. (1.) Quicquid non relinquit opus in sensus incurrens, illud non est ars, atqui Logica &c. E. Hic respondendum per distinctionem, ubi quoad primam sumo majorem, ejusque sensum juxta habitudinem subjecti & prædicati indago, quia in subjecto sermo est de opere crasso ut calceus, vestis &c. intelligo prædicatum esse artem crassam, hinc primum membrum ars crassa; jam quoad alteram video dividendum esse majorem; indeque alterum membrum aliunde sumo, sensum nimirum oppositum, aut contradictorium, ars non crassa, aut relativum, subtilis. Hinc distinctio inter artem crassam & non crassam, inter artem crassam & subtilem.

§. 68. (2.) Quicquid est homo, illud est animal rationale, effigies Petri est homo E. Hic respondendum per distinctionem, quare juxta primam regulam sumo minorem & ejus sensum indago; quia subjectum intelligitur de pictura aut sculptura, prædicatum etiam denotabit hominem sculptum aut pictum; juxta alteram video medium esse dividendum, quare sumo alteram præmissam & sensum indago; quia autem in ea prædicatum animal rationale, colligo subjectum etiam esse intelligendum de homine vivo & rationis particeps, hinc distinctio: Inter hominem vivum & pictum. Sic in omnibus exemplis progrediendum.

§. 69. Plura eadem essent adducenda, sed abrumpenda est tela; dabitur, Deo volente, occasio, illam ulterius pertexere & artificium hoc prolixius integro libello exponere. Hic tantum ansam dedimus Exercitio Academico.

C

ADDI-

ADDITAMENTA.

I.

Concurfus causæ primæ cum secundis est universalis.

II.

Res omnes, quatenus notionibus secundis substant, non sunt objectum Logicæ, sed tres mentis operationes.

III.

Deum esse in prædicamento, sine ullâ absurditate potest statui.

IV.

Non licet de omnibus dubitare.

V.

Formas substantiales malè negât Cartesiani.

VI.

Quantitas cum materiâ est unum, idemqve.

VII.


Omnis virtus consistit in mediocritate.

VIII.

Homo naturâ est animal Politicum.

FINIS.






ULB Halle
005 803 373


3



1077







1675, 11
12

Christo Juvante!
DISSERTATIO LOGICA
DE
ARTE SYLLO-
GISTICA,

Quam
Inclutæ Facultatis Philosophicæ consensu
IN ALMA PHILUREA
Sub PRÆSIDIO
M. JOHAN. FRID. Engelmann /
SS. Theol. Cultoris & Alum. Elect.
publicæ ventilationi submittit
CHRISTIANUS IHLIUS, Elstertreb.
Mifn, Philos. Studiosus,
prid. non. Dec. A. M. DC. LXXV.
H. L. Q. C.

Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.

1675

M. J. Ihlus

